



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatus Iuridico-Politicus De Iure Superioritatis Ac  
Summa Potestate Rom. Pontificis**

**Wesseling, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1662**

V. VI. VII. Solimannvs, Mvsa Zelebis, Mahvmetes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64514)

subegit; cum etiam Hungariam intrare  
 meditaretur, Rex Sigismundus electum  
 exercitum 60000. Hungarorum, Gallo-  
 rum, & Germanorum an. 1396. contra eum  
 duxit in Serviam: At Christiani oēs cum  
 exercitu 200000. Turcarum cincti truci-  
 dati, & capti sunt. Post hæc Bajazetes Con-  
 stantinopolim obledit, quam etiam occur-  
 passet, nisi Tamerlano Tartarorum Cha-  
 mo Asiam devastanti occurrere debuisset,  
 à quo anno 1399. in Cappodocia cæsus, ac  
 demum in cavea ferrea per universam  
 Asiam cum despectu circumductus est, in  
 qua anno 1402. capite colliso expiravit,  
 postquam plusquam centum millia Chri-  
 stianorum miserè absorbuisset, *Aurifod.*  
*pag. 1694.*

## V. VI. VII.

SOLIMANNVS, MUSA ZELEBIS,  
 MAHV METES.

Bajazetes 31. genuit filios, qui de suc-  
 cessione contendentes contra se invicem  
 cruenta bella gessere. Solimannus carnis  
 & voluptatum illecebris deditus à Musa  
 seu Mose bello aggressus, & an. 1411. à ru-  
 sticis cæsus occubuit: Hic vicissim à Ma-  
 humete

humete captus anno 1414. strangulatus est, postquam Constantinopolim frustra obsedisset, & in Christianos plurimum sævisset. Mahumetes cum suis vicinis pacificè vixit, Christianos non adeò multum vexavit, sed quietè an. 1521. in fata concessit. De hoc vid. *Aurifod. pag. 1695.*

## VIII.

## AMVRATHES II.

Filius Mahumetis Constantinopolim obsedit, sed frustra; Nam Christianis occurrentibus, & obsessis viriliter repugnantibus, magno sui damno, & confusione in Asiam redire coactus est. Uxorem habuit Despotæ in Servia Georgii filiam, qui cum bellum contra Caramaniam instituisset, Ladislaus Hungariæ Rex de consilio Legati Apostolici Eminentissimi Cardinalis Principis longè prudentissimi cum valido exercitu ingreditur Mysiam, ubi apud oppidum *Varnam* res ad conflictum pervenit, in quo primùm Christiani rerum potiti, postea verò unà cum Rege, & Cardinali usque ad internecionem deleti sunt, quamvis

O 6

in